

omnis autem mutatio quaedam mors est, quia facit aliquid non esse, quod erat. Et ipsa anima, et Angelus, qui immortales in substantia sunt, peccando mutantur, et moriuntur, et quaecumque creatura non peccat, ex Dei gratia id habet. Solus ergo Deus natura sua omnino immortalis, seu immutabilis est.

Circa tertium, probat Deus esse summe simplicem tum in se, tum in comparatione ad creaturas, tum ex summa identitate eorum, quæ Deo conveniunt. In se Deus est summe simplex, quia nullam habet diversitatem, nec partium, nec accidentium, nec aliarum formarum. Comparative ad creaturas, quia omnis creatura est multiplex, nulla omnino simplex. Nam corporalis creatura est multiplex, quia multas habet partes, et accidentia. Spiritualis est multiplex, quia licet partes non habeat, et quantum ad hoc sit simplex, tamen plures habet potentias, et accidentia, et mutationes. Deus autem etsi multipliciter dicatur, v. g. bonus, magnus, sapiens, etc. Tamen omnia hæc idem sunt, eadem enim est magnitudo, quæ sapientia, et virtus. Unde cum Augustino inquit Deum multipliciter dici, licet simplex sit, non hoc dicitur propter diversitatem accidentium, sed propter diversum modum nominandi, et cognoscendi ipsum. Et sicut Augustinus docet in Deo nulla est accidentium diversitas; nec aliquod prædicamentum artis dialecticæ ei convenit, imo et ipsa substantia si sumatur, pro eo quod est esse subjectum accidentium, et substare illis, non invenitur in Deo, licet subsistens essentia inveniat. Denique simplicitas Dei declaratur ex identificatione omnium, quæ sunt in Deo, quia quidquid in Deo est, Dei esse, et Dei substantia est, nec aliquid accidens ei advenit, aut aliquid quod Deus non sit et cum eo

componat, sed idem est habens, et id quod habetur, ut ex pluribus auctoritatibus ibi probat, et de se manifestum est.

Circa hanc distinctionem movet S. Thomas quinque quæstiones. Primo, de esse: utrum sit ista proprium Dei, ut sit sua quidditas, et primum ejus nomen de quo etiam agit i p. q. iii, art. iv, et q. xiii, art. xi. Secundo, de æternitate Dei quid sit, et quomodo Deo conveniat, ubi etiam, an sit mensura durationis divina, et creaturarum de quo etiam i p. q. x, et q. xiv, art. xiii. Tertio, de immutabilitate Dei: quomodo sit omnino immutabilis, et creatura sit mutabilis de quo i p. q. ix. Quarto, de summa simplicitate Dei tam physica quoad compositionem partium et accidentium, quam metaphysica ex genere, et differentia, de quo etiam, i p. q. iii. Quinto, de simplicitate creaturæ, et quo modo anima sit simplex, vel divisibilis, de quo etiam i p. q. lxxvi, art. viii, et q. lxxv, art. i.

DISTINCTIO IX.

Explicatis in præcedenti distinctione his quæ pertinent ad unitatem Dei secundum se, hic incipit determinare de Personis. Et generaliter considerat tria. Primo, de distinctione Personarum usque ad distinctionem xix. Secundo, quantum ad æqualitatem eorum usque ad xxi. Tertio, quantum ad nomina, quibus distinctio Personarum, et unitas essentialis designatur a distinctione xxii, usque ad xxvi.

Igitur in præsentī distinctione agit Magister de processione Filii a Patre. Et dividitur in tres partes. In prima explicat fidem catholicam circa processionem Filii a Patre, et objectionem Arianorum dissolvit. In secunda proponit, et resolvit aliam difficultatem, scilicet, an

Filius semper generetur, et nascatur. In tertia quamdam hæreticorum objectionem solvit.

Circa primum, fides catholica in processione Filii fatetur, Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum esse tres Personas distinctas tamquam alius et alius, esse autem eandem, et consubstantialē essentiam, nec esse aliud et aliud, et similiter sic esse genitum Filium a Patre, ut Pater ante non fuerit, sed est ei coæternus. Objectio autem Arianorum talis est Filius est natus, ergo esse cœpit, et sic non semper fuit. Respondet bene posse esse natum ex aliquo principio, et tamen illi coæternum, sicut splendor procedit a luce, et illi coævus est. Et cum Christus sit Dei virtus et sapientia, ut ait Apostolus nunquam sine Filio fuit Deus, quia nunquam fuit sine sua sapientia, et virtute. Quod si quærat quomodo si Filius est, non habeat priorem Patrem. Respondet ex Ambrosio generationem illam esse ineffabilem, et sic credendum esse generationem illam, coæternum Filium habere, qui non in tempore, sed in æternitate genitus est. Licet autem aliqui ex Hieronymo dicant generationem illam non esse impossibile intelligi, sed difficile, id tamen Hieronymus non dicit, sed illa generatio æterna est, nec explicari potest, licet aliquid de illa sciamus.

Circa secundum refert Magister duas oppositas responsiones. Nam S. Gregorius Augustinus et Chrysostomus dicunt, quod Filius semper est natus, seu genitus, non semper gignitur, ut perfectio generationis designetur. Origenes vero dicit, quod Filius semper nascitur, et generatur, ne videatur generatio præcessisse: et similiter Hilarius dicit, quod Pater generat Filium, et Filius nascitur de illo. Respondet Magister utrumque sane posse dici, quia

Filius semper nascitur non iterando, seu mutando nativitatem, sed in eadem permanendo, quia æterna est, et semper est natus, quia perfecte per generationem est, et hoc secundum congruentius dicitur contra hæreticos.

Circa tertium excludit illam cavillationem hæreticorum, quia omne quod natum est non semper fuit, quia ad hoc natum est, ut esset. Respondet hoc intelligi in generatione creata, per quam aliquid habet esse ex non esse, non in divina in qua aliquid habet esse æternum, non esse post non esse, et ita sicut Pater in ratione, seu relatione Patris æternus est, ita Filius ei coæternus est, quia sine Filio non intelligitur Pater.

Circa hanc distinctionem duas quæstiones movet D. Thomas. Quomodo Filius sit alius a Patre, et an sit aliud, de quo etiam i p. q. xxxi, art. ii. Secundo, an Pater sit prior Filio, et quomodo origine possit, vel non possit dici prior, de quo etiam i p. q. xxxiii, art. iii, et opuse. i, cap. ii.

DISTINCTIO X.

Explicata distinctione Personæ, quæ procedit per generationem, consequenter agit de distinctione Personæ procedentis per voluntatem, quæ est Spiritus Sanctus, de quo tractat per plures distinctiones. Nam de processione ejus æterna tractat usque ad distinctionem xiii, de temporali vero per missionem, et dona sua a xiv, usque ad xviii.

Circa processionem æternam primo agit de modo processionis, quomodo sit per modum amoris. Secundo, de principio spirante, quod est Pater, et Filius, et de ordine inter se ad spirandum distinctione xi et xii. Tertio, de comparatione hujus pro-

cessionis ad generationem distinctione XIII. Igitur in hac distinctione x, duo facit. Primo, ostendit secundum Scripturam Spiritui Sancto proprie convenire esse amorem, et procedere per amorem. Secundo, id ostendit per auctoritates sanctorum. Primum probat, nam etsi i Joan. iv, dicitur absolute Deus charitas est, ibi tamen id non exprimitur in particulari de Spiritu Sancto, sed communiter de Deo, tamen ut advertit Augustinus sicut sapientia communiter de Deo dicitur, et tamen spiritualiter Filio appropriatur, ita et charitas, seu amor communiter convenit Deo, et specialiter de Spiritu Sancto dicitur, sicut etiam legis nomine aliquando totum vetus Testamentum intelligitur, aliquando sola lex Moysis. Filium autem specialiter dici sapientiam constat ex illo i Corinth. i: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*. Et similiter dilectionem dici de Spiritu Sancto manifeste deducitur ex illo i Joan. iv: *Quia dilectio ex Deo est, et omnis, qui diligit ex Deo natus est*, quia Deus dilectio est, ergo dilectio, quæ est Deus est ex Deo, et sic procedit ex illo, quod utique Spiritui Sancto convenit. Et statim jungitur: *In hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis*. Ergo Spiritus Sanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, quod utique facit dilectio.

Circa secundum ostendit Spiritum Sanctum esse dilectionem ex Hieronymo qui id dicit super Psalm. xiv, et Augustino in vi de Trinitate. Cur autem vocetur Spiritus Sanctus cum esse Spiritum et esse sanctum, sit commune etiam aliis Personis? Respondet ex Augustino quod quia Spiritus Sanctus est communitio, amicitiaque, seu amor amborum, ideo vocatur ipse proprie, quod ambo communiter,

charitas enim, seu amor, unio est, communioque duorum.

Circa hanc distinctionem D. Thomas, primo inquit utrum Spiritus Sanctus procedat per modum amoris. Secundo, quomodo sit unio, seu nexus duorum, et amor mutuus. Tertio, quomodo processio amoris Spiritus Sanctus dicatur, de quo etiam vide i p. q. xxxvi et xxxvii.

DISTINCTIO XI.

Explicata in præcedenti distinctione, processione Spiritus Sancti quantum ad modum, quia scilicet procedit ut amor, in hac xi distinctione inquit, de principio a quo procedit, scilicet, an a Patre, et Filio. Et facit tria. Primo proponit veritatem fidei catholicæ. Secundo adducit errorem Græcorum, eorumque fundamento respondet. Tertio ad rectam explicationem sententiam eorum reducit.

Circa primum, veritas catholicæ fidei est, quod Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, nam ille Spiritus, quia a Patre dicitur procedere in Scriptura, dicitur etiam esse Spiritus Christi, et mitti in nomine Christi, ut ad Galat. iv, Rom. viii, et ab eo accipere, quod sine processione a Filio non intelligitur.

Circa secundum, Græci dicunt Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, tum quia Scriptura de Spiritu Sancto loquens solum dicit, quod a Patre procedit, Joan. xv: *Spiritus qui a Patre procedit*; tum quia in Conciliis generalibus, ut in Nicæno in symbolo dicitur, etiam Spiritum Sanctum a Patre procedentem cum Filio coadorandum, et ponitur anathema iis, qui aliter senserint in fide Trinitatis. Sed ad hæc respondet Magister quod cum dicitur in evangelio ex Patre procedentem, et in symbolo non dicitur ex solo Patre,

Unde qui addit ex Filio non contrariatur illi: solum autem prohibetur aliter sentire, seu prædicare, id est, contrarium illi fidei.

Circa tertium ostendit multos ex sanctis patribus Græcis dicere aperte, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, ut Athanasius in symbolo, Spiritus Sanctus a Patre, et Filio; Dydimus, lib. ii, in Joan. Quia ex se non est, sed ex Patre, et ex me est; Chrysostomus in homilia de expositione symboli, ipse est Spiritus procedens de Patre, et Filio. Et denique cum dicant Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, id enim in Scriptura aperte dicitur, Rom. viii: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*, oportet quod dicant procedere ab illo, non enim alia ratione est Spiritus Filii, nisi quia ab eo procedit, sic enim est Spiritus Patris.

Circa hanc distinctionem movet difficultates D. Thomas. Primo, utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre, et Filio contra Græcos. Secundo, utrum si non procederet a Filio distingueretur ab illo de quo etiam i p. q. xxvi. Tertio, utrumque sint unus spirator, et procedat ab eis ut sunt unum de quo etiam quæstione illa xxxvi, art. iv.

DISTINCTIO XII.

In hac distinctione Magister explicato principio a quo procedit Spiritus Sanctus scilicet a Patre, et Filio, inquit de ordine quo procedit ab illis. Et ponit duas quæstiones. Prima, utrum prius procedat a Patre, quam a Filio. Secunda, utrum magis procedat, et principaliter a Patre, ex quibus infert tandem duo corollaria.

Circa primum, ostendit ex Augustino, non esse aliquam proprietatem temporis inter processionem Filii, et Spiritus Sancti nec prius proce-

dere Spiritum Sanctum, eo quod processiones illæ sunt æternæ, et ibi non est prius, vel posterius temporale.

Circa secundum, ostendit similiter, quod non principaliter, aut plenius procedit Spiritus Sanctus a Patre, quam a Filio, sed ab utroque, ut sunt unum spirandi principium; si quando vero dicitur principaliter procedere a Patre, ut dicit Augustinus in v de Trinit. ideo est, quia Filius habet a Patre hoc ipsum, quod procedat ab eo Spiritus Sanctus.

Ex quo infert duo corollaria. Primum, quod quando Hieronymus, vel alii dicunt Spiritum Sanctum proprie procedere de Patre, non intelligunt, quod magis, vel principaliter ab illo procedat, sed quod a Patre, ut a principio dante Filio, ut etiam ab eo procedat. Secundum est, quod quando etiam dicitur Spiritum Sanctum mitti a Patre per Filium, vel esse a Patre per Filium, ut Hilarius dicit xii de Trinitate non est intelligendum, quod principaliter est a Patre, sed solum significatur auctoritas primi principii in Patre, eo quod ab ipso habet Filius; quod procedat ab eo Spiritus Sanctus, solum enim Filius refert ad Patrem, etiam quod ipsius est, sicut et de quo ipse est, ut ait Augustinus; unde per hoc non negat, quod eadem principalitate a se procedat Spiritus Sanctus, sed unde Filius id habeat ostendit.

Circa hanc distinctionem movet S. Thomas illam difficultatem, quæ tangit modum loquendi in processione Spiritus Sancti, scilicet, an generatio sit prior processione, et an Spiritus Sanctus procedat a Patre mediante Filio, et principaliter ab illo, quam ab isto, de quo etiam i p. q. xxxvi, art. iii.

DISTINCTIO XIII.

Post explicatum principium, or-

dinemque processionis Spiritus Sancti explicat in hac distinctione Magister ipsam processionem per comparationem ad generationem Filii. In qua tria facit. Primo tractat cur Spiritus Sanctus non sit genitus cum procedat de substantia Patris, cum etiam Filius, et genitus sit, et procedens. Secundo, quomodo differant generatio, et processio. Tertio, an saltem possit Spiritus Sanctus, dici ingenuus.

Circa primum, respondet ex Augustinus Spiritum sanctum non esse genitum, quia procedit a duobus, nullus autem est Filius duorum nisi alter sit pater, alius mater, dicere autem Filium matrem Spiritus Sancti absurdissimum est. Quod vero Filius dicatur etiam procedere, licet sit natus, non obstat, quia procedere est nomen genericum, alio autem modo procedit Filius, scilicet dicendo, et nascendo, quam Spiritus Sanctus scilicet spirando.

Circa secundum, ostendit ex Augustino inter generationem et processionem hinc differre, quod licet uterque procedat, Filius tamen ab uno, Spiritus Sanctus a duobus, et ideo si de illis nasceretur, duorum filius esset. Nec tamen plene explicari potest quid interfit inter nasci et procedere, omne enim, quod nascitur, procedit, sed omne, quod procedit nascitur; sed distinguere inter hanc processionem, illam generationem dicit Magister se nescire, quia utraque est ineffabilis, et enarrari non potest.

Circa tertium, refert duas sententias, alteram S. Augustini ad Orosium, et xv de Trinitate quod Spiritus, nec genitus, nec ingenuus dici debet. Non genitus, quia non est Filius, non ingenuus, quia non est Pater, proprium enim Patris est esse ingenuus: alteram S. Hieronymi qui Spiritum Sanctum appellat ingenuum, et non factum. Sed utrumque

facile componitur, quia Augustinus accipit ingenuum pro eo, quod a nullo est, et sic soli convenit Patri. Hieronymus vero pro eo quod est non esse Filium, seu non genitum, licet sit procedens, et hoc modo Spiritus Sanctus ingenuus est. Et sic Hieronymus dicit, omne quod est, aut genitum, aut factum esse, et Spiritum Sanctum dicit esse, nec natum, nec factum. Sumit ergo ingenuum pro non genito, seu non nato.

Circa hanc distinctionem, illa est celebris quaestio: Cur processio Spiritus Sancti non sit generatio, de qua etiam S. Thomas I p. q. xxvii, art. iv.

DISTINCTIO XIV.

Hucusque egit Magister a distinctione x de processio aeterna Spiritus Sancti. Ab hac incipit agere de processione ejus temporali, quatenus per missionem, effectum aliquem temporalem operatur in creatura rationali. Et primo agit de hac temporali processione in communi, tam hic, quam in sequenti distinctione xv; in hac quidem distinctione ostendendo dari temporalem processionem Spiritus Sancti, in sequenti vero inquirendo, an etiam a se ipso detur, quod pertinet quasi ad qualitatem hujus processionis, seu missionis. Deinde vero de specialibus modis missionis penes visibilem, aut invisibilem agit a distinctione xvi. In praesenti ergo distinctione tria facit. Primo, ostendit, quod detur processio temporolis Spiritus Sancti, quae est missio. Secundo, inquirat, an ipsa Persona detur, an solum ejus dona. Tertio, an etiam a viris sanctis detur Spiritus Sanctus.

Circa primum, docet duplicem esset processionem Spiritus Sancti, alteram aeternam qua procedit in se, alteram temporalem qua procedit ad

sanctificandam rationalem creaturam, ut constat ex Augustino xv de Trinitate. Et ipsa donatio gratiae est missio Spiritus Sancti, ut ex Beda ostendit, quae utique donatio gratiae temporalis est.

Circa secundum, aliqui sentiunt cum mittitur Spiritus Sanctus non ipsum dari, sed dona ejus, idque aiunt sensisse Bedam supra citatus cum dicit Spiritum Sanctum procedere cum ejus gratia datur hominibus. Sed oppositum evincit Magister auctoritatibus Augustini et Ambrosii, in xv de Trinitate cap. xxvi. Probat Filium esse Deum, quia dat Spiritum Sanctum, qui est Deus, et in serm. xliii de verbis Domini docet dare donum aequale sibi, quia dat Spiritum Sanctum. Et Ambrosius lib. i de Spiritu Sancto docet, quod Spiritus Sanctus datur nobis cum sit substantia simplex, et opulentus virtutibus, et unicuique praesens, et sic unus, qui datur pluribus, dona autem Spiritus Sancti non sunt unum, nec substantia simplex.

Circa tertium donet non dari a viris sanctis, seu ministris Spiritum Sanctum; quia cum dari Spiritum Sanctum sit procedere, si daretur a ministris procederet. Probatur etiam ex Augustino in v de Trinitate ubi ponderat, quod Apostoli orabant, et imponebant manus, ut acciperent Spiritum Sanctum, non ipsi dabant illum. Et subdit posse quidem nos accipere pro modulo nostro Spiritum Sanctum, non vero super alios effundere. Cum autem Apostolus ad Gal. iii dicit: *Qui tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis*, non est intelligendum, quod habuerit auctoritatem dandi Spiritum Sanctum, sed quia ministerium habuit in quo dabatur Spiritus Sanctus.

Circa hanc distinctionem monet S. Thomas tres difficultates. Prima, an missio Spiritus Sancti sit temporalis,

et sit idem cum processione aeterna, de quo etiam I p. qu. xxxiv. Secunda, utrum ipse Spiritus Sanctus detur, et secundum quae dona ibidem. Tertia, utrum a viris sanctis detur Spiritus Sanctus quod est idem, ac quaerere, an ministri concurrant ad dandam gratiam, de quo agitur III p. q. lxii de causalitate Sacramentorum, et q. lxiii de characteris potestate.

DISTINCTIO XV.

In hac distinctione agit Magister de missione Spiritus Sancti specialiter quantum ad hoc, an sit missus a se, et occasione hujus agit etiam de missione Filii, et quomodo sit missus. Unde dividitur haec distinctio in quatuor partes. In prima, ostendit Spiritum Sanctum etiam dari a se ipso. In secunda ostendit Filium etiam esse missum, et a Patre, et a se. In tertia, ostendit Filium duobus modis mitti, et ut sit homo per incarnationem, et ut sit cum homine per gratiam. In quarta, ostendit cur Pater non sit missus, nec aliae Personae sint minores Patre, quia missae sunt.

Circa primum, ostendit Spiritum, et esse donum, et donatum, in quantum donum datur, in quantum donans, dat. Quod probat ex auctoritate Augustini xv de Trinitate, et ratione, quia alias si non daret seipsum, et datio illa sit operatio aliqua ad extra, aliquid ergo operarentur aliae Personae, quod non Spiritus Sanctus.

Circa secundum, ostendit Filium missum, sive datum, et a Patre, et a se, et a Spiritu Sancto quod intelligitur ratione humanitatis. A Patre, quia scriptum est: *Misit Deus Filium suum*. Et Filius de se dicit: *Exivi a Patre, et veni in mundum*: Pater autem tunc misit Filium suum, cum fecit eum ex muliere, seu cum hominem fecit, quod sine

Spiritu Sancto facere non potuit, quia est opus ad extra, et ita dicitur per Isaiam XLVIII 16: *Nunc misit me Dominus, et spiritus ejus*; unde Ambrosius, in III libro de Spiritu S. «Filius, inquit, datus est nobis, audeo dicere, et a Spiritu, quia et a Spiritu missus est, dicit enim Filius, Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, etc.» Et ibidem ostendit Filium datum etiam a se, datus inquit gratia Trinitatis, ut etiam Filius dederit se. Quod etiam auctoritate Augustini confirmat in II de Trinitate, quod Pater eum misit, et etiam ipse se misit, sicut etiam se sanctificavit. Quando autem dicit ipse Christus: *A meipso non veni*, hoc inquit Augustinus dictum est secundum formam servi, secundum quam non fecit ut mitteretur.

Circa tertium inquit, an Filius tantum sit missus, scilicet cum fuit incarnatus, an etiam sæpe mittatur, et quæ sit illa missio. Respondet mitti Filium per incarnationem, ut sit homo, et mitti per gratiam, ut sit cum homine juxta illud Sapi. IX: *Emitte illam de sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit, et tecum laboret*, quod etiam ex Augustino confirmat IV de Trinitate. Et differentia inter utramque missionem est, quod per gratiam mittitur, ut impleat animas et Angelos, per incarnationem, ut Verbum sit caro: per gratiam facit, ut homines in mundo non sint, sed supra mundum, per incarnationem vero venit in mundum, et visibilis apparuit.

Circa quartum, ostendit, quod Pater non dicitur mitti, quia non habet principium a quo procedat, et consequenter, neque a quo mittatur, ut ex Augustino IV de Trinitate probat. Nec tamen aliæ Personæ, quia mittuntur, minores sunt Patre, sed ei æquales, sed solum sequitur, quod habeant principium a quo procedant, et a quo mittantur.

Circa hanc distinctionem quinque difficultates movet D. Thomas. Prima, utrum missio sit aliquid essentielle, vel notionale, et an conveniat Personis. Secunda, utrum omnibus Personis conveniat. Tertia, utrum alicui Personæ convenit, quod mittat se. Quarta, utrum missio invisibile convenit Filio, et sit distincta a missione Spiritus Sancti. Quinta, an fiat missio invisibilis ad omnes sanctos, et quomodo, de quibus quæ etiam videri potest I p. quæst. XLIII, et ibi interpretes.

DISTINCTIO XVI.

In hac distinctione dividit Magister duos modos missionis, quia altera est visibilis, alia invisibilis, et agit hic de visibili, in sequenti autem distinctione de invisibili. Dividitur ergo hæc distinctio in duas partes: In prima posito duplici modo missionis, agit de visibili. In secunda inquit cur Filius secundum missionem dicatur minor Patre, non vero Spiritus Sanctus.

Circa primum ponit duplicem missionem ex parte effectus, alia visibilis, quæ in Filio facta est per incarnationem, in Spiritu Sancto per apparitionem in columba, et in igneis linguis; altera invisibilis cum per gratiam mittitur in animas. Et quantum ad visibilem missionem Spiritus Sancti docet ex Augustino illam esse factam, non quia temporali aliquo motu Spiritus Sanctus venerit, aut ejus substantia, quæ invisibilis est manifestata sit, sed quia per speciem exteriorem creaturæ corporalis significata, et monstrata est invisibilis missio Spiritus Sancti.

Circa secundum ponit hanc differentiam inter missionem Filii et Spiritus Sancti, quod Filius per missionem factus est homo assumendo naturam in unitatem personæ et

quia homo factus est, minor etiam factus est. At vero Spiritus Sanctus cum apparuit in creatura, non assumpsit eam in unitatem personæ, nec factus est columba, vel ignis, et ideo nec minor factus est. Quod ex Augustino confirmat II de Trinitate. Et ex eodem docet, quod quando Filius dicitur minor Patre, id intelligitur in forma servi, non in forma Dei, in qua est ei æqualis, et in forma servi etiam se ipso, et Spiritus Sancti minor est. Hilarius autem in IX de Trinitate etiam ulterius dicit, quod Pater est major donantis auctoritate, sed Filius non est minor, quia unum est cum ipso, et accepit id quod est ipse, sed quia ab eo accepit, dicitur ille major.

Circa hanc distinctionem D. Thomas movet has quæstiones. Prima, an missio visibilis conveniat divinæ Personæ. Secunda, an fuerit facta ad patres veteris Testamenti. Tertia, an solum in specie corporali, an etiam in imaginaria. Quarta, an ministerio Angelorum. Has diffuse tractat hic D. Thomas. Possunt etiam disputari quæstiones præcedenti distinctione.

DISTINCTIO XVII.

In hac distinctione agit Magister de alio modo missionis, scilicet de visibili per gratiam, et charitatem. In qua distinctione Magister tria facit. Primo, ostendit charitatem non solum qua Deus se diligit, sed etiam qua nos diligimus Deum, esse ipsum Spiritum Sanctum. Secundo, colligit quomodo Spiritus Sanctus dicatur mitti, vel dari per charitatem. Tertio, respondet objectionibus in contrarium.

Circa primum, ostendit charitatem qua nos diligimus Deum esse ipsum Spiritum Sanctum, idque probat ex Augustino VIII de Trin. id deducente ex verbis illis I Joan. IV:

Deus charitas est, et Augustinus affirmat non solum dilectionem esse ex Deo, sed etiam esse ipsum Deum; et quia diligendo fratrem diligimus ipsam dilectionem, et sic diligimus Deum, quod dilectio non sit Deus Pater, aut Filius, sed ipse Spiritus Sanctus ostendit ex Augustino XV de Trinitate, ubi id probat, quia citato loco Joannis dicitur, quod dilectio ex Deo est, et quod Deus est dilectio; non potest autem ex Deo esse nisi procedat a Deo, quod utique soli Spiritui Sancto convenit, et deinde dicit nos ipso manere, quia de Spiritu suo dabit nobis, constat autem quod dilectio facit nos in Deo manere; ergo dilectio est Spiritus. Nec dici potest, quod Deus dicitur charitas causaliter non formaliter, sicut dicitur spes nostra, et patientia nostra, oppositum enim expresse dicit Augustinus in XV de Trinitate ponens differentiam inter hæc, et charitatem, quia nunquam dicitur Deus absolute patientia, vel spes, sicut dicitur Deus charitas est.

Circa secundum, colligit Spiritum Sanctum tunc nobis dari, vel ad nos mitti quando ipsemet Spiritus Sanctus facit nos diligere Deum et proximum, per hoc enim manet in nobis, et nos in Deo, ut sumitur ex Augustino in XV de Trinitate, et sic est donum Dei ipsa dilectio, et ipse Spiritus Sanctus quatenus sic datur nobis, ut accendat nos ad diligendum Deum et proximum, et sic perducit nos ad Deum.

Circa tertium, ponit tres objectiones in contrarium, et tandem unam quæstionem proponit. Prima obiectio, charitas minuitur, vel augetur, item datur de novo non habenti, cum tamen Spiritus Sanctus sit ubique, et habenti datur, ut plenius habeat, quæ mutationes non accidunt ipsi Spiritui Sancto in sua substantia, ergo ex parte alicujus accidentis in homine, et sic charitas

non est Spiritus Sanctus. Respondetur charitatem in se esse immutabilem, nec in se recipere magis, vel minus, sed ipsi homini dicitur augeri vel minui, secundum quod magis vel minus operatur per Spiritum Sanctum. Est autem Spiritus Sanctus ubique, sed non eodem modo in omnibus, sicut in creaturis irrationalibus non est Deus sicut in homine, ideoque dicitur dari homini, licet ubique sit. Et hanc responsionem confirmat ex auctoritate Augustini, tract. LXXIV super Joannem, et tract. IV super epistolam Joannis, ubi docet augeri charitatem, non quia proficit ipsa, sed quia nos in ea proficimus.

Secundo objicit, quia si Spiritus Sanctus est charitas nostra, qua nos diligimus Deum, ergo eadem est charitas, qua et diligit nos, et qua nos diligimus Deum, consequens est contra auctoritatem sanctorum, ergo. Minor patet ex duplici auctoritate Augustini, altera in lib. de Spiritu, et littera, capitis XXXII: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non qua ipse nos diligit, sed qua nos dilectores suos facit. Altera est in xv de Trinitate cum Joannes commemorasset dilectionem non qua nos eum, sed qua nos ipse dilexit, ubi utramque charitatem distinguit. Respondetur utrumque attribui Spiritui, sed secundum diversos effectus. Itaque charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, quatenus ipse Spiritus facit nos diligere Deum; est autem charitas Dei, quatenus ea diligit nos. Quod autem dicit Augustinus charitatem esse a Spiritu Sancto sicut et fidem, respondetur quod est a Spiritu Sancto charitas quatenus dat ipsam: est autem ab eo fides quatenus est donum ipsius, non ipse dans.

Tertio objicit, quia charitas est affectio, seu motus animi nostri ad fruendum Deo, ut dicit Augustinus,

III de doctrina christiana, et in lib. de moribus Ecclesiae catholicae, ergo non est ipse Spiritus Sanctus. Respondetur charitatem dici affectionem animi, quia causatur ab ipsa non mediante aliqua virtute, sed per ipsum Spiritum, alios vero actus, ut fidei, spei, etc. facit mediantibus virtutibus, eo quod Deus charitas est, non aliae virtutes. An vero concedendum sit, quod per donum dentur dona, siquidem Spiritus Sanctus donum est? Respondetur id concedendum esse, ut concedit Augustinus xv de Trinitate, cap. XIX.

Circa hanc distinctionem, duo genera difficultas movet D. Thomas. Primo, circa ipsam charitatem in se. Secundo, circa augmentum ejus. Circa charitatem in se, an formaliter sit aliquid creatum, vel ipse Spiritus Sanctus, ubi obiter; an Deus possit per modum virtutis se communicare, et supplere in nobis virtutem operativam; an sit substantia, vel accidens; an possit cognosci ab habente ipsam; an sit diligenda ex charitate, de quibus etiam agit 2-2. quæst. XXIII et quæst. XXV, art. I et quæst. II de virtutibus. Circa augmentum charitatis, utrum augeatur per radicationem, vel additionem, an quolibet actu; an possit diminui; an habeat terminum augmenti, de quibus etiam 2-2. quæst. XLII.

DISTINCTIO XVIII.

In hac distinctione, Magister agit de Spiritu Sancto quatenus est donum. Et dividitur distinctio in quatuor partes juxta quatuor quæsitae. Primo, quærit cum Spiritus Sanctus sit donum, et datum, utrum eadem ratione sit donum, et sit datum; videtur enim esset idem, quia dari, et donari idem sunt, ergo unum est esse donum, et datum. Respondet

negative, quia donum non est idem, quod donatum, vel datum, hoc enim dicit actualem donationem, quæ est in tempore, donum vero est idem, quod donabile, quod convenit Spiritui antequam donetur, hoc ipso, quod procedit ab utroque ut amor. Cui autem intelligitur donabilis, quando sic procedit antequam actu donetur? Respondetur quod procedit, ut donabilis his quibus postea actu donatur, scilicet creaturis. Filius autem ex vi suæ processionis non procedit ut donum, sed ut genitus, quia non procedit ut amor.

Secundum quæsitum, supposito quod Filius nascendo non solum habet ut sit Filius, sed ut sit essentia Dei, et similiter Spiritus Sanctus non solum habet, ut sit donum, sed ut sit substantia Dei, quomodo ergo Filius nativitate essentia est, et Spiritus Sanctus processione habet ut sit essentia? Cum alibi dicatur, quod non eo est Pater quo Deus, nec eo Filius, aut Spiritus Sanctus quo Deus, ut ex Augustino desumitur. Respondetur, quod Filius nativitate non est essentia, sed Filius, nativitate tamen accipit essentiam, et Spiritus Sanctus procedendo habet essentiam, licet procedat ut Spiritus non ut essentia. Et sic, nec Filius essentia est Filius, nec Spiritus Sanctus essentia est Spiritus Sanctus, sed proprietate personali, licet ille nascendo, iste procedendo essentiam habeat, et sic exponit verba Hilarii. Et sic colligit, quod Spiritus Sanctus sempiternæ habet esse donum ex processione sua, sed temporaliter donatur, et ut donum refertur ad Patrem et Filium, ut donatus ad eum, qui dedit, et ad eum cui donatur; unde dicitur: Spiritus Moysi, spiritus Heliae, spiritus noster.

Tertium quæsitum ex ultimis verbis adductis oritur, an etiam Filius possit dici Filius noster, quia datur

nobis. Respondetur negative, licet enim Filius possit dici Redemptor noster, non tamen Filius noster sub hac appellatione Filii, quia hæc solum dicitur relative ad eum, qui genuit, Spiritus autem non solum dicitur relative ad mittentem, sed etiam respectu ejus cui inspiratur.

Quartum quæsitum, an Spiritus Sanctus referatur ad seipsum, siquidem datur a seipso. Respondetur de hoc tractandum esse infra cum agatur de relationibus.

Circa hanc distinctionem movet D. Thomas primo, utrum donum sit nomen essentialiale, an personale, an proprium Spiritus Sanctus de quo etiam I p. quæst. XXXVIII. Secundo, an eadem processione habeat, quod sit donum, et quod sit Deus; an et possit dici donum nostrum, de quo hic in præsentia, et tractari etiam solet I p. quæst. XXVII, art. IV; an procedat, ut Deus.

DISTINCTIO XIX.

Ab hac distinctione (explicata hucusque divinarum Personarum processione tam æterna, quam temporali) incipit agere de Personarum æqualitate. Et primo agit de his in quibus æquales sunt istæ Personæ, tam in hac distinctione, quam in sequenti, deinde in distinctione XXI, de aliquibus locutionibus, quæ ad aequalitatem, vel inæqualitatem pertinent quomodo verificentur.

In præsentia ergo distinctione supponit prius ex Augustino, lib. de fide ad Petrum in tribus attendi principaliter æqualitatem Personarum, scilicet æternitate, magnitudine et potentia, quæ tria sunt in Deo una simplex essentia, ut ex Augustino ibi probat. Et ommissa æternitate, de qua supra distinctione VIII actum est, ostendendo, quod Perso-